

1556
nentem nihil, quod efficere, aut excogitare possit ad pacem re-
vocandam, prætermisurum. Ceterum antequam de ineundis fœ-
deribus ageretur, Cæsaris, ac Philippi Regis responsum ex-
pectari oportere, ne præpropera tractatione abruptum, ac reci-
sum pacis negotium videretur. Decreto, ut moris est, Car-
dinali perlecto, cum parumper substitisset, Cupere se, inquit,
quenam de iis, quæ attulerit, Senatus sententia sit, intimius
pernoscere: nam quod ad pacem attineret, pro certo habere,
e Pontificis dignitate nihil Cæsareanos agi passuros; immo
cuncta ad bellum consilia adhibituos: ne itaque verborum am-
bitu uterentur, sed singillatim in iis, quæ Pauli nomine fue-
rat prolocutus, Senatus voluntatem apertius significarent.
Cum vero tertio kal. januarii factum Senatusconsultum, Car-
dinali postridie ejus diei perlegeretur, quod eo tempore no-
vi Præconsultores creantur, res in januarium mensem, anni
insequentis rejecta est.

Eo anno Franciscus Venerius, cum principatum in Repu-
blica annum ac menses undecim gessisset, quarto nonas ju-
nias migravit e vita: ad Servatoris templum delatus, postea
a Petro fratre egregii Mausolei honore decoratus est. Comi-
tiis ex lege habitis, Philippo Trono, Stephano Theupolo,
Thoma Contareno Marciis Procuratoribus ad summæ digni-
tatis fastigium nitentibus, prætermisiss, Laurentius Priolus
nondum in id Collegium cooptatus, quod raro accidit, de-
cimoseptimo kal. julii suffectus est. Pestilentia quoque lues
per urbem grassata, complures, ac præcipue infimæ plebis ho-
mines absumpsit; quæ per contagem effusa, ni a magistratu
saluti præfecto opportunis remediis fuisset compressa, altius per-
vagata, ingentem cladem editura videbatur. Ab agrotorum
congressu, ac supellectile se abstinere, coetus, ac turbas ho-
minum evitare, illa demum ingruenti malo salutaria fuere;
multis in vicinos agros, villasque circumjectas, relicta urbe,
donec morbus desæviret, migrantibus. Pestilentia annonæ caritas
comes fuit, cum acerrimi morbi metu a frumentis, atque aliis,
quæ in vitæ usus necessaria sunt, importandis mortales deterre-
rentur. Quæ res præter cetera legi occasionem dedit, qua cau-
tum est, ut neglecta, vel stagnantium aquarum alluvione, vel
limo, ac junco inculta loca in posterum, cultu adhibito, producen-

Francisci
Venerii
Principis
obitus.

Laurentius
Priolus Dux
eligitur.
Venetia pe-
ste & inopia
vexata.